



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Athanasivs Ep. 2. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

suo; huic fundendo jam se initium dedisse, cum filii funderet: quem male libasset, rectius litaturum sese. Et verò damnatus voti est: bello enim in annu DXXVI. à Clodomiro Gallorum Rege petitus, captusque, & capite plexus, in puteum est abjectus. Sed tam ignobile sepulchrum poenitentis illustrius cantu suo luminibusque cælum fecit; quin agri magno numero morti jam proximi sanitatem inde suam hauserunt, itaque quam uni eripuit vitam, longe plurimis SIGISMUNDVS restituit. Ex *Greg. Taron.*

S. ATHANASIVS EP. 2. Maii.

NON rarò pueritia toti vitæ præiudicat. Ita ATHANASIVS, Alexandria inter lusum adolescentiæ, puer à pueris in Episcopum lectus, natu deinde grandior ab ipsomet cælo est confirmatus. Difficile est dictu, quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit. Producta in medium concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab ATHANASIO, quem ne noverat quidem. Hic alius non nemo suppetias laturus innocentia, ideoque ATHANASIVM sese assimulàs; heus, inquit, ego ne vitium tibi feci? mox illa: tu verò ipsissimus. Ita cum & se & impietatem omnium risui exposuisset, exclamant Ariani occisum ab ATHANASIO

SIO Arsenium (quem eam ob rem longè illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaque in templum progressus, vitæque suæ luculentus ipse testis ostendit, se quidem utramque manum, ceterum accusationem nec caput, nec pedes habere. Exul nihilominus sæpè ATHANASIVS totum pœnè orbem pererravit. Annos in cisternâ quâdam latavit V. indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cum hostis instaret, navim vertit, jamque obvius quærenti num ATHANASIVM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita rectâ Alexandriam reversus, in patrio conditorio inter mortuos quatuor menses vixit, inter vivos deinde mortuus anno CCCLXXII. nunc inter mortuos iterum vivit. *Ex Baron.*

S. ANTONINVS EP. 2. Maii.

ANTONINVS Florentinorum Præsul, ad CHRISTI in cruce imaginem sublimis raptus, mellitissimis vulnerum osculis aliquandiu inhæsit. Atque ex his illum uberibus hausisse amorem crede, quem in omnes postea pauperes dispensavit, tū ratus præclare se rem administrasse domesticam, si domi nec supellex, nec penus esset. Viderat

Q 4

adi-